105 23

REFLEXIO

Ab

Equite Polono & Amante Patriæ facta

supra Electionem Noui Regis,

1674.

pro Lotharingiæ Principe Carolo.

S. XXVI. 151 - bez zbiorów

22

SI quando augustissimæ Reipub. Nostræ sagaciter proceedendum est in noui Regis Inauguratione, tum vero imprimis exulceratissimis hisce temporibus, in id solerter prouideq́; incumbendum est, vt illum suffragijs suis euehat, qui eiusdem liuoribus oportunè mederi valeat. proinde indaganda nobis veniunt principia, quibus innixa Resp. ad summæ felicitatis ac gloriæ culmen prouecta fuit; vt eadem impræsentiarum in remedia illius restaurationis assummantur; quæ olim fuerant exordia salutis.

Et imprimis quidem ex ipsis conuersionis nostræ incunabulis ab Orthodoxa Repub. Matre Nostra Sanctissimè obseruatum est, vt eos duntaxat fascibus Regalibus admoueret quos sciret veræ Romanæq; Religioni fore addictos, alios vero hac in parte suspectos, vt potè profanos aris focisque suis longissime arceret.

Sapientissimè enim ex aliorum potentissimorum Regnorum ob mutatam religionem interitu, tanquam ex antecedentibus, hæc deducit consequentia. Regnum suo stabili non posse consistere firmamento, si nutet fides, nec oleam reuirescere si superis perfidiâ insolescente bellum indicatur sopitaq́; incendia, dolòsis foueantur suscitenturq́; cineribus.

Alterum est: Rempublicam nostram nunquam fore securam suæ conseruationis ac libertatis si electura sit Regem adeo potentem, qui pro libidine sua regat & imperet: aut alios subditos quibus amplius fidat, primæq́; admissionis habeat: in nos vero perinde atq́. in adoptiuos, minimeq́; vterinos nouercali odio desæuiat. vel machinamentis suis tam potens euadat, vt per intimos suos externorumque Nuntios eam dilaniare, & cum illius detrimento se suaq; promouere polleat. Id etiam principium omnino nobis petendum, ac defendendum est, si Rempub. nostram vnanimem, fortunatam beatamq́; reddere intendimus.

Tertium est: Salutem, incrementum, emolumenta Reipub nostræ non nisi in vnione membrorum cum capite fundata esse, indeq́; neruos ac vitam mutuare: non secus ac ex connexione totius corporis sanitas omnisq́; decor illius resultat.

Vltimum est, Regno nostro perquam necessarium esse grauissimo

simo hoc rerum articulo, Regem perquam bellicosum, ac neruo belli supra cæteros præstantem quod itidem tam liquidum est, vt diem præsentem negat, qui eidem contrauenerit.

Et hæc quidem sunt Laconica principia seu firmamenta, quibus vniuersæ Reipub. salus incolumitasq; subsistit. Ex quibus inferendum nobis est, quis qualisue ad clauum Reipub. nostræ moderandum pro merito euehi valeat.

Quod me concernit nemini patrocinari cupio in eo suffragando præterquam vniuersæ Reipub. laboranti, nostræq; inter Heroinas Orbis vniuersi mille titulis dignissimæ ac deprædicandæ Reginæ Dominæ Dominæ nostræ clementissimæ.

Verùm quem inde parem tanto oneri, quem hinc dignum tanta felicitate iudicabimus, præterquam celeberrimum illum Heroem quē prioribus Electoralibus nostris Comitijs supra cæteros Corriuales ac Competitores calculorum suffragijs extulimus, animosq; ac pectora integra fide maiori ex parte deuinximus: Et hic est SERENISSIMVS PRINCEPS LOTHARINGICVS quem non tam natiuis coloribus exornare, quam rudi penicillo lymphatisq; lineamentis adumbrare in Iliade contendo. Quod si caligantibus oculis ad Archetypum ipsum minus accessero, pictores tyrones imitabor, qui operi suo nomen apponunt, quo nullo negotio elucescit quidquid repræsentare est in animo. Sub rudibus tamen lineamentis ea virtutis imago adumbrabitur, ex qua liquido appareat me non vulgaris notæ Principem vobis proponere voluisse. Illi qui meliorem illius notitiam contraxerunt defectus meos & parerga supplebunt, quos constat picturæ meæ nihilum detracturos, plurimum vero perfectionis decorisq; addituros.

Obseruatum id nouissima electione à sagacioribus Reipub. Patribus (quod in dies magis elucescit) præfatum Principem tanto pollere ingenio, vt meritò sit admirationi; eo tenore functiones suas exequi, vt sole clarius appareat, à genio aliquo superioris ordinis gubernari: câ prudentiâ inter secunda & aduersa incedere vt nunquam & nusquam cespitasse, aut hallucinatus esse auditus sit. Tam vero vbiq; sibi præsens est, vt nulli inopinati euentus eũ exasperent; tàm basil. cè seipsum gubernat, vt solo incessu singularis prærogatiuæ Princeps pateat: tàm humanus & affabilis perhibetur, vt gratiæ in eo sedē fixisse credantur: tàm libera lisac magnificus in bene me-

ritos existit, vt nemo vnquam iure contra illum conqueri ausus sit. Et vt compendio sermonis complectar, sine vllo tamen veritatis dispendio (more eorum qui terrarum situs breui tabula comprehendunt) omnibus heroicarum virtutum prærogatiuis quæ diuinè Regem orthodoxum commendare pollent. ita emicat, vt nonnisi inuidus Momi aut luſci oculus crisi ſua Rhadamantina næuulum aliquem effingere polleat. Hæc aliaque decora liquidius innoteſcent ſi ad ſuppoſita principia tanquam ad limam examinentur, aut ex ijſdem corollarijs deductis inferantur.

Primum itaq; erat vera baſis Regnorū omnium ac cardo qua nititur Reip. noſtræ ſalus, ac ſanitas eſt intemerata Religio Catholica, toties ſanguine noſtro rigata, ſæpius acinacibus noſtris fortiſſimè propugnata. Quem vero ad illius defenſionem ac incrementum è tanto Candidatorum albo ſaniore conſilio ſubrogabimus, quam præfatum Principem auita Religione ac in Superos pietate commendatiſſimum. An arbitramini alio diuorum fauore hunc Principem in hæc ſæcula reſeruatum & Reipub. noſtræ in grande felicitatis pignus deſtinatum, quam vt glorioſiſſimis trophæis feliciſſimiſq; ſuorum Maiorum Godefridi Bullionij aliorumq; ſuccedentium auſpicijs, Solymeum poſtliminio thronum obtineat immortaleſq; Reip. noſtræ pariat triumphos. Eò illum euocant manes patrij Othomanica impietate ibidem inquietati, eò ſanguinea fluenta è fortiſſimis Chriſti Pugilum pectoribus deducta, eò diuiniſſimus ille Seruatoris noſtri cruor qui multo efficaciùs innocente Abel, identidem intonat, vindicate, vindicate. Audiet ille threnos hoſce vindicabitq; Superum (vti non ambigo) auſpicijs prouectus; dummodo pari auſu & pietate, pari in Superos fide & cultu, pari Religione & promptitudine præeuntem ſequamur.

At vero quoſcunq; alios Competitores illius nominaueritis non Orthodoxos ſed Orcodoxos inuenietis. Canunt illi quidem palinodiam perfidiæ ſuæ, at infuſa peruetſæ mentis axiomata ex integro unquam anathemate ferient. Virus enim ſemel intimis potatum præcordijs, non vno ejicitur ſingultu. Tenaciſſimè hæret quod rudibus annis percepimus. Regionem plerumq; non religionem, polum non animum mutant, caſtigant ad omnem pietatis normam exterius errores ſuos; interius vero idolis litant: ſacra adyta plerumque frequentant vt aranearum genio aconita ſorbeant.

Præfe-

Præferunt ementito oris filo sanctimoniam aliquam vt tanto commodius idololatriæ suæ cultum promoueant. Plantabunt sub tali tegmine vnius anni ambitu vepres, quæ pluribus lustris à sedulis vigilantissimisq; Patriæ cultoribus extirpari nequibunt. Noui ego quam vigilans hydra sit Caluinismus vt capita sua propaget, vt venena diffundat, vt fœtus suos promoueat. Ad cuius partes si accesserimus in primis Reipub. principijs grauissimè impingemus.

Alterum est conseruatio Libertatis in integro: ne videlicet Tyrannide opprimatur Resp. & aliarum gentium calamitatem in caput suum inuehat. Quod fieri potest vel per priuatas machinationes & societates clandestinas cum alijs Principibus, vel per propriam ipsorum potentiam. Et sanè à Leonibus Balthicis, equitanteq; Nympha id subuereri Respub. posset, minimè verò à decantatissimo Candidato nostro. Si quæ enim Machinamenta & coniunctiones armorum timendæ sunt; illæ certæ cum Gallia, Succia Brandeburgico Imperatore vel alio Imperij Principe contraherentur.

Verum meus Candidatus nequit amicitiam periculosam cum Gallia, prout constat contrahere, nec vllam habere ligam (vt vocant) cum Sueco aut Brandeburgico, nec controuersijs vllis aut fœderibus cum alijs Principibus externis illigatus existit. Æstimat ille ipsorum merita, quod est Iustitiæ; conatur illis sua obsequia deferre, quod est humanitatis ac vrbanitatis apud ipsum indispensabilis; offert illis suam amicitiam, vt reciprocè talis exhibeatur. Copias militares contra capitalissimum Christianæ fidei hostem eduxit, vt pateret orbi hunc vnum esse quem odijs suis impeteret, in quem belli bilem effunderet. Itaq; hoc vnum de eo dici potest, quod cum omnibus (vno duntaxat capitalissimo hoste excepto) apprimè consentiat, tanquam cum amicis & vicinis sinceris non vt Dominis suis.

Nec cum ipso Augustissimo Imperatore aliam communionem aut vnionem habere exoptat, præter illam quam semper ambiit Respub. nostra, & per occasionem Matrimonij contracti cum Sanctæ memoriæ Sereniſſimo Rege defuncto confirmauit: ad quàm stabiliendam non facile capaciorem illo inueniemus.

Quisquis verò ab hac, cum Augustissima domo, vnione Rempublicam sequestrare meditatur, is profecto vel liuore, vel etiam mente caprus est. Cum enim omni ex parte hostibus infestemur vnum nobis restat asylum Imperium, quo nos securè recipiamus. Cum

mole nimia rebellium ac perduellium opprimimur ab hac aquila ſubleuamur. Cum aliæ prægnantes vrgent neceſſitates, ab aſtro hoc ſubſidia ac remedia erogamus. Ita vt nunquam ab ea infeſtati plerumq; conſilio & auxilio defenſi ſimus. Profecto ſi ſapimus in id potius incumbendum nobis eſt vt omnem omnino cum eadem domo communionem armorum incamus; vnus ſit noſtrum hoſtis, in quem Polona Germanaq; conſpirent pectora. Tum demum non modo vicinis noſtris ſed & orbi vniuerſo formidandi exiſtemus,

Cæterum Rempubl. noſtram prædictus Princeps his omnibus amicitijs multo cariorem habebit, vtpotè cui ſoli inaugurationem ſuam & diadema in acceptis referet. Dementiam ſapit ſuſpicari alterum velle ſubeſſe, cum præeſſe valeat, in regno libero malle famulari imperio, externa commoda priuatis anteferre. Aſſolent equidem Principes liberi procorũ geniũ æmulari, qui antequã maritentur ſponſis varijs afficiuntur ac ancillantur; at vbi vni Hymenæis vinculis adſtricti ſunt, actutum aliarum amoribus ſpretis ſuis gratijs adhæreſcunt illas forent promouent, defendunt. Sponſa imò vxor primæ electionis cuiuuis Principis regnum eſt, cum quo poſteaquam contraxit, impoſſibile eſt ut alienæ afficiatur. Itaq; nihil omnino timendum eſt, ne forte protectionẽ aliorum ſuſcipiat aut in detrimentum noſtrum extrancos inducat.

Suppetiæ vero quas ex Lotharingia & à Sereniſſimo Patruo ſuo ad ſubueniendum Reipub. percipere poterit, maximo eidem futuræ ſunt emolumento Reditus enim illius annui adæquant ſumptus neceſſariòs maximi Principis: quos ille liberrimæ Reipub. noſtræ incrementis ill q; fideliter ſincereq; famulantibus deuouet. Idecq; ex hoc ipſo principio ſuffragia noſtra meretur, demerenturq; illi, quos quos conſtat non tam regnare, quam Tyranidem in ſibi ſubiectas ditiones exercere.

Tertio principio edocemur ſalutem incolumitatemq; Reipub in vnione ſubditorum cum Principe conſiſtere, Hanc profecto arctiſſimam in Sereniſſimo Lotharingiæ Dynaſta cum Repub. ominari fas eſt. Siquidem reuera Princeps eſt, ea humanitate & gratia, ijſq; virtutibus exornatus, vt violentiâ quadam animos aliorum in ſui amorem attrahat, ſibiq, arctiſſimè deuinciat. Nolim tamen hinc evincere, quot ſolus ille ſit atq; vnius, qui affectum Reipub. promereatur, multoq; minus commendationis illius argumenta, in alterius vilipen-

lipensionis firmamento collocare. Suppono enim plures alios excellentissimis virtutibus atq; animi dotibus, exornatos inueniri. Pono tamen: Esto quod hi habituri sunt zelum boni communis, curamq; paternam pro solatio & conseruatione Reipub. sint accurati in seruandis legibus, constantes in Reipub. honore defendendo, incorrupti in administranda iustitia, ac distribuenda mercede emerita. Sint tam animosi vt nec quieti, nec vitæ suæ ob bonum publicum indulgeant quemadmodum hic Princeps existit. Supra hæc omnia inuenitur necessitas vna in eodem conseruandi erga subditos & electores suos singularem affectum, nec dispensandi eundem in exteros. Noscit enim optimè nobis solis fasces, &Diadema illud Imperatorũ non tàm frontibus quàm pectoribus exemptum debiturum. Vt vt enim virtutes ipsius Actorum & Promotorum officio fungantur, vt vt protectores illius zelus sit quo fertur amore Reipub. Nostræ: vt vt Paranymphus vox publica perinde ac præco clamet, nullum posse inueniri magis idoneum illo, ad regnandum quicunque se offerunt; maximum tamen pondus authoritati illius addet Reipub prudentia quæ vt Iudex illum piæ reliquis dignissimum iudicabit coq; titulo illum sibi plurimum deuinciet.

Ex parte verò nostra tanquam opus manuum nostrarum post Deum adorare ac complecti obstringemur: vt ea ratione causa felicitatis vnius ac alterius indissolubilẽ efficiat Gordij nodum, quo inuicem constricti corpus integrum saluum ac incolume subsistet.

Quartum denique erat Rege bellicoso nobis opus esse. Ex hoc capite merito calculum meum subtraherem Serenissimo Principi Candidato, nisi iudicio hominum prudentum, nostrorum æquè ac externorum liquidum foret, singulatis ipsius in arena militari dexteritas, Martiaque virtus, Non literis ille vt plerique; ad hanc scientiæ & experientiæ sublimitatem euasit; sed rebus præclare ac fortiter gestis Audiui & audiuisse gestio, illum omni inconflictu non terga, quo alios metus aut sanguis collocat; respexisse, sed frontem; non prælia vidisse sed tractasse, laureas non participasse ab alijs, sed sua dextera præcidisse. Audiui inquam & audiuisse gestio; primum semper extitisse in congressu, vltimum in recessu, in rebus turbatis quietum, in conuulsis immotum, in desperatis erectum, in perditis nũquam non præsentem sibi extitisse. Audiui plura alia quæ lubens prætereo, ne panegyrim potius quam consilium contexere videar;

Vos

Vos tandem vltimò compello Patres conscripti; date date vel ex omnibus vnum, qui huic non modo præferri, sed vel conferri valeat. Date & quoscunq; dederitis, vel trans Balthicum in obscuro sine nomine latentes, imbelleſq; deprehendetis: Vel crepundia vix exuisse, vel bella legisse non vidisse decernetis. Date alios, & si quos dederitis, vel de Religione suspectos, vel fœderibus externorum implicitos, vel potestate tremendos inuenietis.

Date inquam quoscuos volueritis & ab ijs minorem concordiam, minorem authoritatem, minora subsidia, expectare potestis. Non intendo hic singulorum Candidatorum hanc ad limam examinare qualitates: vos quæso vni aut alteri illorum libellam hanc applicate. Conferte vos liberrimæ mentis passibus ad circumfusas nationes, illasq; imprimis ad quas inclinat animus lustrate. Ite inquam in Batauiam & en se vobis offerret, vnica totius gẽtis gẽmula Princeps ab Auro initiatus, illoq; ex nomine ambiendus: verum subsistite paululum & libratis iudicijs decernite; num primo ex principio suffragari valeatis cuius genitorem constat, omni immanitate in Orthodoxos omni rabie in diuorum icones omni impietate in sacra quauis desæuijsse. Num procul à stipite pomum hoc cecidisse arbitramini? Num ab ipsis Batauis promoueri potius quám eliminari credetis: Num ab eo alia Reipub. emolumenta, præter exiguos nummos, speranda veniunt, quibus nos mercatum non se electum gloriabitur.

Progredimini exinde nisi vos vestigia carceresq; Casimiriani terrent, ad Galliæ confinia, & vel pullos imbeles, vel vnum canum decapularem tot calculis olim reprobatum offendetis. Hem hunc ne è Libitinæ ferculo abstractum, regali throno præficiemus! & exaugurato orbis nostri imo vniuersi delitio Helenam illius, ne dixero Hecubam inuehemus! O prudentiam ne dicam vesaniam nostram! Ignoramus forsitan quæ nam ova nobis aurea Gallina prior pepererit ex quibus Cadmea dissidentium soboles vix non ad interitum Reipub. nata emersit? exciderunt vobis thesauri Nostri per illam cuecti, vt cuprum telæ aranearum aliaq; parafarnalia per eam inuecta. Latet vos etiamnum gentem nostram summa cum ignominia publicis thearis in sibilum apud eos exhiberi, nec fere alio habitu præterquam Polono Histriones præsentari. Quodq; nos exasperare in illos summopere deberet illud minime postremum est, quod nec pijs manibus

bus Sereniſſimi Regis noſtri defuncti parcitur, dum perinde ac ſcurra vnus in ſcenam ab ijs producitur. Quid dicam de præſenti cum porta Otthomanica internecino bello, quis faces admouit, quis furias addidit, niſi lilium illud vere inter ſpinas, quod neſcio quo exotico odore nos vna cum orbe terrarum factionibus ſuis inuoluit. florere illud neſcit niſi alienis calamitatibus fulciatur, alienis caſibus firmetur, pereundum nobis eſt, vt illud ſit ſaluum. dumq; iam cadere incipit per latus noſtrum exurgere conatur. Itaq; non nobis ſed illis hic ſuffragijs conſultum imus? nec alia ab eodem ſubſidia præter fœminea ominari poſſumus euentura. Quæ quam vera ſint quiſq; facile deprehendet; qui non ad priuatum commodum ſed ad publicum & ſani iudicij ac vulgaris auræ trutinam vota ſua expenderit.

Reuertimini itaq; in Marchiam ac Pruſiam ibidemq; magnæ Aquilæ pullos non degeneres obſeruate. Verum & in ijs quàtopere vacillent principia noſtra ex calculo confratris noſtri Mazouitæ tanquam ex Lydio lapide nullo negotio conijcietis.

Totam deniq; Europam (ne prolixus ſim) ſagacimentis obite oculo, & aliorum Martios ſpiritus atq; ſubſidia cum Candidato meo conferte; neminemq; ſi faſcinum oculis veſtris detraxeritis ex illo capite digniorem dexteriorem habilioremq; decernetis. Innitendo itaque Maximis hiſce prona animi voluntate in meam ſententiam vos confratres meos ſucceſſuros confido, quibus fides, pax, patria cordi eſt.

Niſi id forſan quiſpiam obtendat, Mahometanos ægrè laturos electionem iſtam; eò quod nunquam Chriſtianis oris ſigna intulerint quin aliquem è Sereniſſima ſtirpe Lotharingica oppoſitum ſibi inuenerint. Hi duntaxat Electioni meæ reclamabunt, quod eum elegerimus qui veſtigijs Maiorum ſuorum inhærendo à teneris cornua Lunaticorum iſtorum ferire perbelle didicit. Credent enim eodem charactere fore reſignitum, quo alij ex eadem familia, non tàm annis quàm victorijs inclitiſsimi.

Tandem vt compendio ſtringam quod pluribus hactenus dictum eſt, concludo: Si intendimus videre Regem in fronte exercitus, qui nunquam prælia gerat, quin ipſe incoram adminiſtret, Lotharingus eſt. Si Codrum prodigum ſui ſanguinis exoptamus, Lotharingus eſt, ſi aſpiramus ad ſolidæ concordiæ promotorem, ad magnanimum patriæ protectorem ad communem omnium patrem Lotharingus eſt.

Huic

Huic si seruitia si sanguinem, si vitam polluebitis immenso cum authoramento recipietis.

Meum itaq; consilium est, vt cum conformibus suffragijs Regem nostrum decernatis. Idq; fixissimum teneatis, quicunq; huic inaugurationi contrauenerit, hunc vel proprio commodo, non vtilitati Reipub. prospicere; vel certé minus integra fide patriæ patrocinari; cui ego fausta fortunataq; omnia cum noui anni auspicio; tanquam sincerus eiusdem ciuis candidissimo pectore vouco.